

† Fr. Carolus Salmhofer (1855-1938)

(Prov. Argentor.)



Mane diei 24 Mart. 1938 in Monte Episcopali senior Provinciae Argentoratensis, Fr. Carolus, natus 83 annos, hanc mortalitatem cum beata immortalitate, ut iure optimo creditur, commutavit. S. Gabriel Archangelus, cuius festum colebatur, eius animam ad thronum Virginis Beatissimae duxisse videatur, ut inter Caelicolas Annuntiationis festum peragere posset. Corpus autem postea inventit quietis locum in ultimo caemeterii nostri sepulchro adhuc libero, et ibi iuxta Virginis Matris perdolentis aedem resurrectionem exspectat gloriosam.

Caroli Salmhofer patria est Austriae regio Styria (*Steiermark*). Ibi natus est in vico

Stein, paroeciae Loipersdorf, pridie Kal. Nov. 1855, patre Francisco, agricultore, matre Maria Uhl. Didicit, haud secus ac S. Gerardus noster, sartoris artem, et a. 1879 candidatus ad Styriae collegium Leoben venit. Biennio post Eggenburgi in vestitione nomen Julianum accepit. Magistro usus est clarissimo P. Gerardo Diessel¹, ac die 17 Iun. 1883 vota emisit. Fuit quoque per breve tempus in aliis Provinciae Austriacae collegiis, sed ianitoris et oeconomi potius, quam sartoris, officiis fungens.

A. 1885, vel paulo postea, Rm̄us P. Mauron Fratrem nostrum, cuius optimas qualitates ipse eodem anno cognoverat, ultra mensem in collegio Puchheim degens, ad domum generalitiam vocavit, ubi sacristae adiunctus est et nomen baptismi reassumpsit; at ubique Italico more Fr. *Carlo* vocabatur. Propter infirmam valetudinem inde ab a. 1890 Buxilongi stetit, donec novus Rector Maior Rm̄us P. Raus eum ad suum proprium servitium accersivit. Commendabant autem Fr. Carolum ad hoc officium pietas, modestia, secreti custodia, amor Congregationis, observantia erga praepositos, sagax iudicium, dexteritas, tandem scientia trium linguarum: Italicae, Germanicae, Gallicae.

Sic igitur toto tempore, quo Rm̄us P. Raus Congregationis gubernacula tenuit (1894–1909), Fr. Carolus fidelissime ei servivit ceteraque negotia sibi iniuncta diligenter obivit, et cum P. Raus tanquam Rector Maior emeritus post Capitulum generale anni 1909 Montis Episcopalis quietam memoriisque venerandam domum sibi elegisset, Frater noster eo dominum suum secutus est. In nova tamen transmigratione, initio belli ex Alsacia in Helvetiam (Bertigny) facta, Rm̄us P. Raus Fr. Rudolphum secum duxit, et Fr. Carolus in Monte Episcopali mansit qua ianitor et sartor. Inde ab a. 1932, senio confectus, mandati illius *ora et labora* solam priorem partem exsequi poterat, paene non amplius Rosarium e manibus dimittens et maiorem diei partem in ecclesia transigens.

Aureum professionis eius iubilaeum Superiores certo splendore celebrare voluerunt, in fine visitationis canonicae 20 Iun. 1933; at bonus senex cantica illa et carmina et oratiunculas refectorii eminus tantum audiebat, febris lectulo detentus. Etiam tres ultimos vitae menses in lecto iacebat, et orans ac patienter adversa sustinens suam e carcere corporis liberationem praestolabatur.

Qui Deo in Alfonsiana familia fere per sex decennia tam fideliter servierat, eum uberrimam meritorum caelestium messem collegisse obvium est. R. I. P.

¹ De eo cfr. LEITGEB-TAUSCHER, *Lebensbilder*, p. 248-262.